



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 808. An & unde sit religionum diversitas, & quotuplicis generis eæ sint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

nem, professio autem non fiat nisi per vota solennia; hoc enim, si absolute intelligendum velint adversarii, referendum ad tempora antecedentia citatam Constitutionem Gregor. XIII. postquam non bene ex eo inferitur, quod non etiam fiat verus Religiosus emissionem votorum simplicium, item quod status Religiosus, qui constituitur per vota solennia, sit longe perfectior, quam qui constituitur per vota simplicia; quia magis stabiliter se quis per ea tradit Religioni, & arctius ei, adeoque & servitio Dei astringitur. nam id verum de majore aliqua perfectione accidentali & extrinseca, non vero de intrinseca & essentiali requisita ad statum Religiosum perfectione.

*Quaest. 808. An & unde sit Religionum diversitas & quoduplicis generis ea sint?*

**R**esp. Ad primum: tamen Religiosi Ordines omnes convenienter essentialiter, hoc est in iis, quae spectant ad essentiam status Religiosi, nimirum in emissionem trium votorum, & tendentia ad perfectionem, qui est finis principalis & idem omnium, ut Suar. *Tom. 4. de relig. tr. 9. de variet. relig. l. 1. c. 1. num. 3.* Less. *L. 2. c. 41. num. 16.* accidentaliter tamen plurimum differunt, tum ex fine particulari, cuique ordini ex institutione illius proprio, tum ex mediis particularibusque exercitiis diversis, quibus unaquaque utitur ad tria vota substantialia observanda, finemque tam principalem quam particularem consequendum melius. D. Thom. *2. 2. q. 188. a. 1.* Suar. *l. c. Less. l. c. n. 17.* Pirh. *h. t. n. 20.* unde

**2.** Resp. Ad secundum primum: alia est Religio contemplativa seu monastica, quae ex primava sui institutione ac fine particulari exercet se in contemplatione rerum divinarum; alia activa, quae principaliter instituta & ordinata ad opera charitatis & misericordiae, sive spiritualia, sive corporalia exhibenda proximo. alia mixta, quae praeterquam quod meditationi seu contemplationi dedita, occupatur in operibus caritatis praesertim spiritualibus, seu procuranda salute animarum, docendo, concionando, Sacramenta administrando. atque ex hoc discrimine major minorve Religionum perfectio desumitur juxta D. Thom. *2. 2. q. 188. a. 1.* & Canonistas, in c. sane. *h. t.* cum vita contemplativa sit melior atque perfectior activa juxta illud Christi: *Illaria optimam partem elegit.* & vita mixta praesertim vitae contemplativae, & activa seorsum sumptis, ut D. Thom. *l. c. a. 6.* Secundum Religiones dividuntur in Clericales, Monachales, Mendicantes, Militares. Clericales sunt, quae principaliter ordinantur ad chorum divinae officia exacte peragenda, vel ad salutem animarum procurandam. Monachales, quae per se primum ad istiusmodi ministeria Clericorum non ordinantur, sed vitam pure contemplativam & solitariam profitentur. D. Thom. *l. c. q. 189. a. 8. ad 2.* Suar. *to. 4. de relig. tr. 9. l. 1. c. 7. num. 6.* ut constat ex *caus. 16. q. 1.* Mendicantes, quae vi instituti sui paupertatem in communi sectantur nulla possidentes bona immobilia, ex incertis elemosynis & largitionibus fidei, sive sponte, sive mendicato factis viventes, quales de jure communi antiquo approbati Ordines sunt Eremitarum S. Augustini, Praedicatorum, Minorum, Carmelitarum prout constat ex *c. unic. §. sane. de Religios. dom. in 6.* et si aliam earum aliquam de facto tale genus paupertatis ex privilegio Sedis Apostolicae, vel etiam consuetudine, tacito Papae scien-

tis & tolerantis consensu approbata, non servant & nihilominus inter Ordines Mendicantes numerentur, ita Suar. *l. c. l. 1. c. 8. num. 3. & 4.* Azor. *p. 1. l. 12. c. 23. q. 8.* Pirh. *h. t. num. 22.* atque ita in specie Societas Jesu declaratur esse Ordo verè ac proprie mendicans per Bullam Pii V. quae edita anno 1571. 7. Julii. incipit. *Dum indefesse* idque non tantum ex privilegio, sed ex vi instituti sui juxta quod, ut dicitur in *cr. Bulla.* bona immobilia possidere nequit, uti id indubitatum de Societate professae ex confirmatione instituti Societatis, facta à Paulo III. anno 1540. & Bulla Julii III. de anno 1562. idemque disponitur de Coadjutoribus in constitutionibus Societatis. *p. 6. c. 2. num. 4.* quin & Societatem, prout complectitur scholasticos degentes in Collegiis, habentibus bona immobilia, redditus & census studentium necessitatibus & usibus applicandos, esse Ordinem proprie Mendicantem variis rationibus confirmat. Pirh. *num. 22. vers. solum ergo.* Quarum ea est primaria, ex qua ferè cetera deducuntur, nimirum, quod una eademque Religio non possit esse simul diversorum Ordinum, & diverso jure censerit, ne aliàs potius esset multiplex; scholastici autem una cum professis & coadjutoribus formati constituent unam Societatem. Unde non possunt scholastici Societatis dici esse Ordines mendicantis, sumpta denominatione à potiore parte totius corporis, & eam non impediante uno ejus membro seu parte integrali. v. g. in praesente hoc vel illo collegio, & scholasticorum congregatione, habente redditus & bona stabilia. Fagn. *in c. in praesentia de prob. in 6. num. 81. juncto num. 113. & 114.* Pirh. *h. t. num. 23.* Porro de Ordinibus Mendicantibus in particulari, quo tempore & à quibus singuli instituti, ad quos tanquam principales reducantur, & quorum regulis utantur. vide apud Barbof. *Jur. Eccles. l. 1. c. 41. a. num. 20.* & Reiffenst. *h. t. a. 34.* Militantes, quae tribus votis substantialibus editis, vi proprii instituti per se primum ordinantur ad militandum pro defensione Christianae Religionis & Ecclesiae. quales sunt Melitenenses, seu Sancti Joannis Hierosolymitani, Teutonici & similes, quorum professos esse verè ac proprie Religiosos, cum communi Theologorum tenent Rodriq. *qq. reg. tom. 1. q. 5.* Mirand. *man. prel. to. 1. q. 10. a. 4. conc. 3.* Reiffenst. *h. t. num. 31.* cujus contrarium dictum est supra de quibusdam aliis ordinibus militaribus, servantibus ex instituto non nisi castitatem conjugalem. sunt & quaedam aliae Religiones hospitalariae, quae emissis tribus votis substantialibus, vi instituti sui ordinantur per se primum ad exercendam hospitalitatem, curando, excipiendo peregrinos gratis ex mera caritate erga Deum & proximos de quibus Pirh. *h. t. n. 24.* remittens ad D. Th. *2. 2. q. 188. a. 2. incorp.*

*Quaest. 809. Quinam capaces, & quinam incapaces ingredi Religionem?*

**R**esp. Religionem ingredi, seu Religiosi fieri possunt Christiani omnes, qui ex natura rei aut jure non prohibentur. Et quidem ex natura rei prohibentur infantes, furiosi & amentes; quippe qui propter defectum usus rationis, & qui nunc supponit, consensus & deliberationis vota religiosa emittere non possunt. D. Tho. *2. 2. q. 189. a. 5.* Sanch. *L. 5. mer. c. 4. num. 53.* cum communi. Qualiter verò, dum quis sanae mentis ingressus religionem, tempore Novitatus incidit in furorem, tempus furoris computetur in anno Novitatus ex Sanch.